13

f. 1 recto

les, ut ait Augustinus. Homo enim qui non esset amator pecunie, nisi per hoc putaret se excellentiorem esse. Ideoque ut excellat divitias cupit. Tali ex superbia oboritur cupiditas. Et est aliquis qui non amaret excellere, nisi per hoc putaret maiores divitias habere. Ideo ergo excellere laborat quia divitias habere amat. Huic innascitur superbia, id est amor excellentie, ex cupiditate. Patet ergo quod ex superbia aliquando cupiditas, et ex cupiditate aliquando superbia oritur. Et ideo de utraque recte dicitur quod sit radix omnium malorum.

De peccato in spiritum sanctum, quod dicitur peccatum ad mortem.

Est preterea quoddam peccati genus ceteris gravius et abhominabilius, quod dicitur peccatum in spiritum sanctum, de quo in evangelio Veritas ait: Qui peccaverit in spiritum sanctum non remittetur ei neque hic neque in futuro. Et Iohannes in epistola canonica ait: Est peccatum ad mortem, non pro eo dico ut quis oret. Qui enim peccat in patrem remittetur ei, et qui peccat in filium remittetur ei. Qui autem blasphemaverit in spiritum sanctum non remittetur ei neque hic neque in futuro. Sed queritur quid sit illud peccatum in spiritum sanctum, scilicet vel ad mortem. Quidam dicunt illud esse peccatum desperationis vel obstinationis. Obstinatio est induratio in malicia mentis pertinacia, per quam fit homo impenitens. Desperatio est qua penitus diffidit de dei bonitate, estimans suam maliciam divine bonitatis magnitudinem excedere, sicut Cain qui dixit: Maior est iniquitas mea quam ut veniam merear. Utrumque vero dicitur peccatum in spiritum sanctum, quia spiritus sanctus est amor patris et filii et benignitas qua se invicem et nos diligunt, que tanta est ut finis eius non est. Recte ergo in spiritum delinquere dicuntur qui suam maliciam dei bonitatem superare putant, et ideo penitentiam non assumunt; et qui iniquitati tam pertinaci mente inherent ut eam numquam relinquere proponant et ad bonitatem spiritus sancti numquam redire velint, patientia dei abutentes et de misericordia dei nimis presumentes, quibus placet malicia propter se sicut prius bonitas. Isti nimia pertinacia et presumptione peccant, autumantes deum non esse iustum. Illi desperatione deum non bonum estimant, tollentes in hoc turbulentissimo iniquitatum mari portum divine indulgentie, quo se recipiant fluctuantes, atque ipsa desperatione addunt peccata peccatis, dicentes misericordiam nullam esse et super peccatores vindictam damnationis deberi.

An omnis obstinatio vel desperatio sit peccatum in spiritum sanctum.

Sed queritur utrum omnis obstinatio mentis in malicia obduratae omnisque desperatio sit peccatum in spiritum sanctum. Quidam dicunt omnem obstinationem et desperationem peccatum esse in spiritum sanctum. Quod si est, aliquando illud peccatum remittitur, quia multi et obstinatissimi et desperatissimi convertuntur, ut ait Augustinus super illum locum psalmi: Convertam in profundum maris, id est eos qui erant desperatissimi. Et in [illegible] suam sicut frustra primus, id est obstinatos, facit aliorum doctores. Talium conversio evidenter ostendit, ut ait: Qui educit vinctos in fortitudine, similiter eos qui exasperant, qui habitant in se[illegible]. Secundum istos peccatum illud dicitur irremissibile, non quia nunquam remittatur, sed quia vix et raro et difficulter dimittitur. Non enim solvitur crystallus nisi vehementis spiritus impetu. Alii vero tradunt non quamlibet obstinationem vel desperationem appellari peccatum in spiritum sanctum, sed illam tantum que continuatur in vita. Qui et impenitentiam dicunt peccatum in spiritum sanctum, quod dicitur ab impenitentia [illegible] in spiritum sanctum, scilicet cum sic obstinatur aliquis ut non peniteat. [illegible] oportere an aliqua obstinatio [illegible]. Aliud in penitentia [illegible] peccatum [illegible] sed diversis modis commissum. Secundum istos peccatum istud dicitur irremissibile eo quod numquam dimittatur. Unde Augustinus dicit quod hoc solum peccatum veniam mereri non potest. Et Ieronimus super Matheum: Qui tale peccat digne penitere non potest. Et ideo recte Iohannes dicit ut non pro eis oretur, quia qui sic peccat orationibus ecclesie hic vel in futuro iuvari non potest, habens cor induratum tamquam lapis. Sicut de diabolo legitur. Post hanc vitam qui valde mali sunt nullis ecclesie iuvari non possunt.

Qualiter accipiatur peccatum in spiritum sanctum.

Est et alia huius peccati assignatio. Hec enim peccata Augustinus distinguens in libro de sermone domini in monte ait: Peccatum ad mortem est cum post agnitionem dei per gratiam Christi oppugnat aliquis fraternitatem

Nota hic [illegible] quod omnis obstinacio [illegible] impugnacio [illegible] difficultate [illegible] peccatum in spiritum sanctum [illegible] sola illa [illegible] in spiritum sanctum [illegible] esse [illegible] impenitentie [illegible] in spiritum sanctum [illegible]

Cod A 94 (13)